

Syllogismus  
universalis.

**Universalis est, cujus conclusio est universalis.**

Hæc est definitio Peripateticorum, qui universalitatem & particularitatem æstimant ex conclusione, tanquam parte syllogismi principali, ut quæ contineat quæstionem. Ramus generalem syllogismum definit, qui constat ex propositione & assumptione generalibus. Itaq; secundùm hanc posteriorem sententiam in tertiat figurâ etiam erunt syllogismi universales. Sed Rami sententia non est probanda.

Syllogismus  
particularis.

**Syllogismus particularis est, cujus conclusio est particularis:**

Seu, in quo alterutra tantum præmissarum est universalis. In omni enim syllogismo necesse est, unam saltem universalem esse, sicut & unam saltem affirmatam. Nam, ut supra diximus, ex puris particularib. nihil sequitur. Ratio, quia in puris particularibus nulla conjunctio, sed divisio mera consistit. At verò in omni syllogismo duplex requiritur conjunctio; una est, quam efficit medium; altera, quam illatio. Medium quidem copulat propositiones, illatio verò conclusionem cum propositionibus. Zabar. 2. post. ad contex. 45. Huc accedit, quod in omni particulari est ambiguitas, quæ erroris mater.

Syllogismus  
proprius.

**Syllogismus proprius est, cujus conclusio est propria:**

Ramus (ut dicetur canone 2.) malè definit; qui constat ex propositione & assumptione propriis. Aliâs dicitur singularis.

Eius canones sunt:

1 *Syllogismus proprius est omnium figurarum communis.*

Itaque Ramus non est reprehendendus, quod cuilibet figuræ binos proprios adjecerit. Sed nec Aristoteles reprehendendus, quod omiserit. Nam illos existimavit concludere vi universalium, ut jamjam ostendemus. Deinde Aristoteles in doctrinâ syllogismorum sibi proposuit finem scientiam, ut ipse docet. At scientia non versatur circa singularia. Quamvis enim ratio nostra non tantum sit universalium, sed &